



Jus Canonicum Practice Explicatum

Seu Decisiones Casuum Ad Singulos Decretalium Gregorii Papæ IX. Titulos,
& ad Consuetum Referendi Modum accommodatæ

Complectens dimidiam Decretalium Partem, videlicet nonaginta duos
Titulos, nimirum usque ad Titulum XX. Libri de Feudis exclusivè

Pichler, Vitus

Ingolstadii, 1728

Decisio VII. De translatione Monasterii, cui annexum erat jus Parochiale in
Seminarium?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62305](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62305)

TITULUS VII.
De Translatione Episcopi.

Sicut in hoc Titulo ea proponuntur, quæ specialiter reservata sunt potestati Sedis Apostolicæ, quæ inter numeratur etiam translatio Episcopi ab una Ecclesia in aliam, ita ad eandem

Sedem spectat, proindeque non abs re in hoc loco tractanda videtur translatio Monasteriorum, & Ecclesiarum, atque piarum foundationum mutatio. Quapropter sit

DECISIO VII.

An unâ cum translatione Monasterii, cui annexum erat jus Parochiale, transferantur onera Anniversariorum, vel ista tollantur, vel saltem cessent per viam præscriptionis?

SPECIES FACTI.

Monasterium aliquod invalescente Lutheranismò à Principe territoriali, in hæresim prolapsò, Religiosis personis evacuatum, & redditus illius Cameræ hujus Principis per plurimos annos illati fuerant. Sed postliminio Successores hujus Principis ad gremium Catholicæ Ecclesiæ reversi ex consensu & permissione Summi Pontificis retinuerunt hoc monasterium, & per Officiales Sæculares administrarunt, redditibus saltem ex parte applicatis in sustentationem quorundam studiosorum Adolescentum,

in communitate quadam seu Seminario aut Collegio degentium, & quidem per 50. annos. Sub annum Christi autem 1674. 22. Sept. ita petentibus iisdem Principibus hoc religiosis personis viduatum monasterium auctoritate Summi Pontificis Clementis X. incorporatum est quoad redditus temporales dicto Seminario vel Collegio studiosorum adolescentum, & anno sequenti traditum quibusdam Religiosis administrandum, licet primùm altero anno, nempe 1676. dicta incorporatio Apostolica ab Ordinario, ad

(R. P. Pichler Decisiones.)

H

id

id specialiter delegato, confirmata sit. Conformiter huic translationi & incorporationi legitima auctoritate facta dicti redditus semper sunt applicati Seminario: quin ulla anniversaria ex iis celebrata sint, usque ad annum Christi 1705. vel 1706. Quo anno, cum perlustraretur antiquum Monasterii Registrum aliquod, vulgò *Saal-Buch* / de Anno 1542. in eo inventa sunt sat multa & varia anniversaria, antiquitus fundata, cum assignatione reddituum, ex quibus, & personarum, pro quibus celebrari debebant. Quo animadverso Administrator memoratò Annò 1705. vel 1706. rem ita ordinavit, ut pro dictis anniversariis in singulas hebdomades unum Sacrum diceretur, licèt de illis nec in incorporationis, nec in extraditionis litteris ulla exstaret litterula, nec sciatur, unquam illa anniversaria fuisse celebrata à tempore deserti à Religiosis Monasterii, scilicet nec sub Lutheranis, nec sub reversis ad fidem Catholicam Principibus, nec sub Administratoribus religiosis, postea substitutis. Verùm illa Missa hebdomadaria post 12. circiter annos iterum capit omitti, ac hodiequommittitur, & nihil am-

plius præstatur, licèt pro quibusdam anniversariis, uti deprehensum est ex libris Rationum, fluant adhuc sufficientes census, pro aliis exigui & non sufficientes, atque pro aliis nulli amplius, saltem quantum scitur. Unde dubitatur, & quæritur I. An ista anniversaria sint vera fundatio Pia. II. An per translationem Monasterii & bonorum eius in fundationem Seminarii pauperum adolescentum studiosorum auctoritate Pontificis factam tota prior causa pia transierit in posteriorem cum emolumentis & oneribus. III. An onera anniversariorum, si fortè in Seminarium fuissent translata, non fuerint viâ præscriptionis extincta. IV. An deperditis bonis anniversariorum sine Monasterii vel Seminarii culpa cessent anniversaria. V. Quid tenendum, si fundatio sit tam exigua, v. g. si pro uno anniversario fluant defacto tantum 7. vel 8. X. vel 24. x. pro uno anniversario cum cantu. VI. Casu quo subsistat onus anniversariorum, an omnium sit faciendâ compensatio. VII. Eodem casu supposito, quomodo deinceps res sit constituenda, ut satisfiat?

QUÆSTIO. I.

An ista anniversaria sint vera fundatio Pia.

Videtur, quòd non, I. quia non exstant ullæ litteræ talis fundationis, ac mutue inter fundatores &

Monasterium obligationis, nisi quòd in vetusto registro (*Saal-Buch*) authentico illo quidem, annotetur sim-

simpliciter talium anniversariorum celebratio. II. Pecuniarum, capitalia, bona &c. ex quorum censibus anniversaria celebrantur, Monasterio seu huius Ecclesiarum, quae simul erant, & adhuc est, etiam Parochialis, data sunt. Monasterium autem videtur non potuisse admittere tanta onera, praesertim pro tam exiguo in pluribus Ecclesiarum emolumento. III. Quia in Registro plerumque non dicitur, *Mann soll halben einen Jahr = Tag /* sed tantum, *Mann halt /* quod non videtur innuere impositam obligationem. Sed

Dicendum, utique esse piam fundationem: & quidem quod sit *Fundatio* cum onere & obligatione celebrandi anniversaria, patet ex eo, quod certa bona immobilia, aedes, fundi, agri, prata sint constituta, ex quibus Monasterio ejusque Ecclesiae Parochiali census perpetui debebant solvi, & ex multis hodieum debent, cum expressa conditione, modo, vel causa, ut anniversaria intuitu horum censuum habeantur: Sed communis sensus & praxis fidelium habet, quod huiusmodi constitutiones censuum annuorum sub certo onere credantur esse *fundationes*; & vix alia ratione erigi solent *fundationes*; ergo. Quod autem sit *Pia*, evidens est, quia finis est causa pia, ac intentio fundantium fuit pia, nimirum tendens in juvamen animarum, & ad promovendam salutem fidelium defunctorum per Sacrificia Missarum annuarum.

Rationes dubitandi faciliem videntur habere solutionem. *Prima*, quia de

necessitate & essentia foundationis piae non sunt litterae speciales, in quibus exprimitur, sed constituitur per conventionem inter eum, qui fundum assignat, & eum, qui recipit census cum imposito pio onere. Quapropter si aliunde sufficienter probetur, talem conventionem praecessisse, eo ipso probata est sufficienter fundatio pia: atqui per scripturas, licet privatas, si tamen ex sint antiquae, praesertim Monasteriorum & Ecclesiarum, plenè & sufficienter probatur. *text. in c. cum causam de probat. & ibi Gloss. Card. Paris. Bursat. Mascard. de Probat. concl. 976. n. 75.* infinitos referens concordantes. Id quod maxime procedit, si tales scripturae sint in forma *libri*, vel contra Ecclesias & Monasteria, Nicol. de Passeribus *l. 5. c. 1. § 2. de scripturis privatis.* Specialiter *q. 1. § 5. de libris aestimi seu catastri.* Idem procedit de libris Rationum, quas conficiunt Officiales de publico ad scribendum deputati, & annotantes ea, quae ad Officium suum pertinent, licet antiqui non sint. *Masc. concl. 672. n. 9. conclus. 673. n. 20.* & omnium latissime ac elegantissime Beccius *Consil. 5. à n. 1.* Atqui registrum, in quo descripta sunt haec anniversaria, est liber, & quidem antiquus, item Monasterii, & Ecclesiae, complectens huius tam jura quam onera; rursus probabiliter est conscriptus ab Officiali, ad conscribenda jura & onera Monasterii publice deputato; ergo. *Secunda* ruit ex negata *Minore*; cur enim Monasterium

& Ecclesia Parochialis non potuerit hæc onera pro emolumento temporali in se suscipere? cùm fuerit talis Ordinis, cui ex instituto suo non repugnabat Missas & anniversaria celebrare pro stipendio. Nec refert, quòd hoc stipendium pro aliquibus anniversariis (nam pro quibusdam etiam hoc tempore datur abundans.) fuerit valde modicum; quia contractus ex conventionione contrahentium, qui probè præsumuntur novisse onus, & emolumentum pro illo conventum, legem accipere dignoscuntur. *c. 85. de R. J. in 6.* Adde, quòd pro illo tempore quo fuit conventum, potuerit esse sufficiens & congruum stipendium, quod hoc tempore est minus, nec

adæquans communem taxam. Et fructum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo non potuit inchoari. *c. 73. eod. in 6.* Minus stringit tertia ratio dubitandi, partim quia in multis locis reperiuntur verba solen gehalten werden / partim quia verba, man haltet einen Jahrtag für so und so viel Zins / so dieser oder jener zu zahlen hat auß seinen Acker / Garten / Haus &c. implicite denotant obligationem, cum expriment causam, propter quam solvantur census, & sic declarent, non gratis solvi census & ex mera liberalitate, vel titulo subjectionis, aut infodationis, vel emphyteuticationis &c. sed intuitu anniversariorum.

QUÆSTIO II.

An per translationem Monasterii & bonorum ejus in fundationem Seminarii pauperum studiosorum, auctoritate Pontificis factam, tota prior causa pia transierit in posteriorem cum emolumentis & oneribus?

Loquendo de oneribus Anniversariorum videntur ea non transiisse ad Seminarii novam fundationem ex his capitibus. 1. Quòd in hujusmodi piarum causarum mutationibus adæquatis censeatur prior penitus cessare, & nova substitui, quæ ex se primam suppleat totam per sibi proprias qualitates: prior enim causa pia quasi moritur; mors autem omnia solvit, consequenter & obligationes, quas secum ferebat, ex-

utaque naturâ suâ & qualitatibus assumit qualitatem novæ causæ piæ. *Gonzal. ad reg. Cancell. 8. gloss. 5. §. 7. n. 4. Garc. de Benef. p. II. c. 5. n. 192. Nav. Conf. 10. de Majorit. & Obed. n. 2. 3. Leuren. p. 3. q. 883. n. 2. de for. benef.* Ita, si Monasterium, vel Beneficium, quod annexa habuit onera, v. g. certas Missas, anniversaria &c. transeat in fundationem Collegii Societatis JESU, seu ad Hospitale & Domum Pauperum, cessant

cessant ea Missarum onera, nisi specialiter reserventur: talis autem reservatio in casu nostro non reperitur.

2. Quando defecerunt personæ Religiosæ, Monasterium cum omnibus bonis recedit in manus Pontificis, & cessavit Monasterium, seu ejus Piam causam: Papa verò per novam arbitriam dispositionem potuit novam Piam causam fundare modò, quo voluit. Cum igitur bona Monasterii Seminario attribuerit sine expressione onerum, quæ cum ipso Monasterio sublata videntur, etiam Anniversariorum devotio pariter mutata in opus Misericordiæ erga pauperes Studiosos censetur. 3. Post factam mutationem Monasterii in Seminarium anniversaria nunquam fuerunt celebrata, neque cum Princeps Catholicus illa bona deserti Monasterii pro Seminario bono per 50. facile annos administraret, neque, postquam administratio aliis fuit commissa, per 30. circiter annos: poterit igitur supponi, nullam obligationem Anniversariorum agnitam fuisse, sed ea justâ ex causa esse omissa, proinde Seminarium in possessione extincti oneris existitisse.

Verum ista non satis probant intentum, saltem abstrahendo ab ultimo: quapropter tenendum, per incorporationem Monasterii reddituum & emolumentorum etiam transiisse onera Monasterio prius incumbentia in Seminarium. Id quod probatur 1. Hæc incorporatio fuit translatio jurium & bonorum Monasterii, Pontificia auctoritate extincti, in Semi-

narium: ergo etiam obligationum & onerum, nisi Pontifex ista expressè extinxerit; quia indubitati Juris est, quòd res transeat cum onere. c. 5. de Pignorib. l. 20. §. 1. ff. de acquir. rer. dom. Et rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in bonore, vel commodo, c. 77. de R. J. in 6. cum æquum sit, ut sentiat onus, qui commodum. 2. Hæc incorporatio fuit commutatio piæ foundationis & ultimæ voluntatis: ergo est interpretationis strictæ, partim quia est contra Jus Commune, quod ultimas voluntates & piæ foundationes vult esse sacrosanctas, illasas, & inviolabiles, ac per modum Legis observandas. l. 120. ff. de V. S. l. 11. ff. de R. J. Clem. 2. de Relig. domib. Trid. sess. 22. c. 6. de ref. partim quia sæpe est contra jus aliis jam quæsitum, uti in nostro casu, ubi fundatoribus Anniversariorum jus ad annua sacra jam est quæsitum per conventiones onerosas; juri autem aliis quæsito nec Pontifex solet, nec censetur derogare, nisi clarè exprimat. c. 15. de offic. Et pot. Jud. Deleg. Nov. 134. c. 6. ergo, cum in litteris incorporationis & translationis Monasterii non comprehendatur expressa extinctio anniversariorum & aliorum onerum, ea non sunt extincta, præsertim quæ fundantur in jure aliis quæsito, sed remanserunt, & transferunt cum bonis Monasterii ad Seminarium. Imò sine justâ causa, eaque vel necessitatis, vel magnæ utilitatis, ferè publicæ tantum, nec in potestate Pon-

Pontificis est pias fundationes immutare in præjudicium aliorum, jus quæsitum habentium. 3. Papa in suo Breui, in quo voluit confirmari & approbari incorporationem Monasterii ad Seminarium, prius fortè à solo Episcopo factam, expressè addidit hæc notatu dignissima verba, *authoritate Apostolica NB. sine cuiusquam præjudicio confirmet* (Episcopus Augustanus, vel ejus Vicarius Generalis) & approbet incorporationem Monasterii, & fundationem Seminarii: ergo positivè voluit remanere onera, in jure aliis jam quæsita, quale habent fundatores anniversariorum, fundata.

Et hinc facilis est responsio ad ea, quæ in contrarium sunt allata. Ad 1. Cessat quidem prior fundatio pia, in quantum voluit & potuit eam tollere novam substituens, ita nimirum, ut cessent illa onera & obligationes, quæ priori fundationi ex primæva fundatione fuerunt impositæ, ac illi quasi intrinsecæ, & non compatibles cum nova causâ pia: sic utique ad Seminarium non transferunt onera & obligationes pfallendi in choro, servandi Regulas Monasticas, aut vota Religiosa &c. propter quas redditus fuerunt in prima fundatione assignati Religiosis personis &c. remanserunt tamen & remanere solent obligationes ex speciali conventionione & pactis onerosis, ex quibus alteri jus est quæsitum, ortæ, uti & aliæ, quæ priori fundationi non propriæ & essentielles,

sed novæ sunt, & utrisque possessoribus communes & convenientes, nec statui novorum possessorum repugnantes. Allegati Auctores loquuntur de beneficiis accessoriè unitis alteri principali, quæ ex dispositione Juris totaliter cessant quidem, at nec ipsa omnino totaliter, sed potius mutantur & sequuntur naturam & qualitates novi beneficii, cui uniuntur, uti est v. g. certa ætas ad beneficium, cui aliud unitur, de Jure requisita, obligatio residendi &c. ut si Parochiale beneficium accessoriè uniatur Canonici vel Dignitati Ecclesiæ Cathedralis: quo casu manet tamen obligatio administrandi illud per Vicarium &c. Si Monasterium, habens obligationem Missarum pro Stipendiis, incorporetur Societati JESU (quod tamen non procedere videtur, si uniatur Hospitali, vel alteri Ordini hujusmodi obligationum capaci) cessant quidem onera Missarum, eò quòd pugnent cum Instituto Societatis, & ideo ab uniente Pontifice censeantur sublata, remanentibus tamen illis oneribus, quorum Societas est capax, nisi expressè & specialiter etiam ista tollantur. Seminarium, de quo est lis, omnino capax est onerum & obligationum ad Missas, pro quibus constitutum jam olim apud priores Monasterii possessores stipendium est, & adhuc ex multis fundationibus fluunt census. Ad 2. Quando defecerunt Religiosæ personæ, recidit quidem Monasterium

sterium in manus Pontificis, hæc tamen pia causa & fundatio non omnino interit, sed tanquam persona ficta persistit unâ cum suis juribus & oneribus: quapropter, cum postmodum incorporata vel potius translata est generaliter sine exceptione onerum, ista quoque, sicut jura, in Seminarium, quorum istud fuit capax, transferant. Et quamvis in potestate Pontificis fuerit disponere de hoc Monasterio deserto, non tamen voluit (an potuerit sine causa publica, abstrahitur) in sua dispositione onera in jure alieno; jam quæsito fundata tollere; quia non expressit, imò contrarium expressisse videtur, cum incorporationem approbari vel con-

firmari voluerit cum clausula consuetâ, sine cujusquam præjudicio; quæ non minus reperitur in Brevi Apostolico, quàm in litteris Executionis Ordinario commissæ. Ad 3. Non est ita prompta responsio. Quamvis enim, si prædicta clausula non fuisset adjecta, tot annorum observantia potuisset esse indicium, illa Anniversariorum, quæ per tantum temporis spatium fuerunt omiſsa, onera penitus esse sublata; tamen stante illa clausula videntur dicta anniversaria perperam & contra Justitiam esse omiſsa. Nihilominus tamen hæc tam diuturna omiſsio præbet ansam novæ quæstioni. Unde sit

QUÆSTIO III.

An onera Anniversariorum, si fortè in Seminarium fuissent translata, per viam præscriptionis non sint extincta?

Nullum præscriptioni locum esse, suadetur 1. Ex Tridentino, quod sess. 25. c. 5. de Ref. loquens de oneribus, in fundatione, vel per pacta, Ecclesiæ aut beneficio injunctis, prohibet, ne iis derogetur, vel aliquid detrahatur. Pius IV. verò in Bulla Tridentini Confirmatoria apposuit decretum irritans, quidquid contra factum fuerit: atqui clausulæ seu decreti irritantis tanta est vis, ut etiam afficiat ignorantes, titulúmque &

possessionem, quæ sunt duæ conditiones ad præscribendum necessariae, inficiat. Rota decis. 25. n. 5. & decis. 317. n. 12. p. 16. ergo nec ab ignorantibus onera missarum, anniversariorum &c. tolli per præscriptionem valent. 2. Sine bona fide non currit ulla præscriptio: sed nec Seminarium, nec ejus Antecessores, qui administrarunt prius bona extincti Monasterii, fuerunt in bona fide in ordine ad dicta onera; eò quòd documen-

cumenta, in quibus annotata sunt hæc onera, & fundationes anniversariorum, semper fuerint in ipsorum manibus: vel ergo inspexerunt hæc instrumenta? & sic scienter omittendo anniversaria peccârunt: vel non inspexerunt? & sic culpabilem commiserunt negligentiam, quæ in Jure non toleratur; quin ex eo, quòd quis documenta suæ obligationis penes se habuerit, præsumitur obligationis scientia, consequenter omisio culpabilis, & mala fides. Confirmatur: iniquum est, ut quis percipiat reditus sub certo onere constitutos, & non præstet onus; cùm talis nullo titulo percipiat tales reditus: atqui pro quibusdam saltem anniversariis hodie adhuc fluunt, & solvuntur census, ac reditus: ergo. 3. Sine consensu Pontificis non valet ulla consuetudo contra Ecclesias & loca Religiosa ac pia: ergo neque ulla Præscriptio: sed hic non intervénit consensus Pontificis, sed potius dissensus expressus, cùm in Incorporatione adjecerit verba, *sine cujusquam præjudicio*: ergo. 4. Nulla consuetudo prævalere potest piis foundationibus. Pythus Corradus *Prax. Beneficaria lib. 2. c. 10. n. 90.* cum Lambertino: ergo multò minùs Præscriptio; cùm hæc sit minorum virium.

Ut ut autem speciosa hæc sint, & nonnullos in contrariam sententiam pertrahere potuerint, censeo tamen cum gravissimis Doctoribus, per Præ-

scriptionem extingui onera & obligationes Missarum, & Anniversariorum, sive in fundatione sive postea ex pacto oneroso constitutorum, non modò per Immemorialem & longissimi temporis (de qua nemo) facillè dubitat, cùm tali casu non tam per viam præscriptionis, quàm vi præsumptionis, qua præsumitur titulus quicumque habilis & de Jure sufficiens, extingatur obligatio, qua aliis adstringimur) sed etiam per Ordinariam, quæ completur 30. annis in rebus incorporalibus, cujusmodi sunt jura, & his correspondentes obligationes, licèt desit titulus. Pellizar. *de Regular. tr. 5. c. 9. n. 92.* testans, viros doctos, à se consultos, esse ejusdem mentis. Tambur. *in Meth. celebr. l. 3. c. 7. §. 1.* Gobat. *in Theol. Experim. tr. 3. Casu 16. n. 514. seq.* dicens, constare ex Jure Canonico ac Civili, intermque consensu non minùs Theologorum quàm Juristarum contra nonnullos, illum, qui bona fide, ac determinato tempore omisit præstare officium, servitutem, debitum, quo alteri obstrictus erat, ratus, se minimè obstrictum, denique ob hanc suam bonam fidem, opinionem, ac tanti temporis decursum evadere ita liberum in conscientia, ut, licèt postea manifestum fiat, eum fuisse verum debitorem, attamen possit dicere, nihil planè deberi à se. A qua generali doctrina cùm neque Jus, neque DD. excipiant obligationes hæc & illa sacra, hoc aut illo die & loco,

eo, vel certa anniversaria celebrandi, etiam in his videtur Præscriptio locum habere. Ita ille. Facere huc videntur, quæ habet Card. Tusch. *litt. S. concl.* 424. n. 9. Corrad. *Prax. Benefic. l. r. c.* 6. n. 324. & eo teste Rota. Jam loquendo & applicando hanc doctrinam ad casum nostrum,

Probatnr nostra Decisio I. ex allegata auctoritate Doctorum, qui vel in terminis loquuntur de præfenti dubio, vel faciliè ad illud trahi possunt. II. ex Jure Civili, secundùm quod res immobiles, & his annexa, vel æquivalentia jura incorporalia sicut acquiruntur, ita & amittuntur per viam Præscriptionis, seu immunitas ab onere & obligatione, cum titulo quidem decem annis inter præfentes, & 20. inter absentes. *pr. Inst. de usucap. l. ult. de præscript. longi temp.* sine titulo autem 30. annis. *l. 3. § 4. C. de præscript. 30. vel 40. ann.* item servitutibus tam personalibus quàm realibus præscribitur univèrsim 10. annis. *l. 25. ff. quib. mod. usufr. amitt. l. 13. C. de Servitut. l. penult. § ult. C. eod.* Sed Seminarium in præfenti non præstitit onera Anniversariorum non tantùm 10. aut 20. sed etiam ultra 30. annos, syncerè existimans, se ad illa non obligari, imò potuit tempus præcedens, quo ab aliis fuerunt administrata bona defuncti Monasterii, & bona fide, quantum scitur, non celebrata anniversaria, suis annis adjungere & accessione temporis uti. *l. Pomponius §. cum quis ff. de usucap.* nec enim ab his Administratoribus successores fuerunt moni-

(R. P. Pichler Decisiones.)

ti de obligatione anniversariorum, & sic probabiliter credere potuerunt, etiam ab ipsis fuisse hanc ignoratam, & bona fide non impletam; quippe cum *quis in jus succedit alterius, justam ignorantie causam censetur habere. c. 14. de R. J. in 6. Navar. Covarruv. &c.* adeoque moderni Administratores habuerunt titulum justum translationis, & causam existimandi, se non teneri ad curandum celebrari anniversaria; imò numerare possunt annos plurimos suorum antecessorum, nempe ultra 100. & sic gaudent præscriptione longissimi temporis, vel etiam immemorialis, in quibus nullum oportet assignare titulum, minùs probare, sed tuti sunt titulò præsumptò, vel præsumptione validissima, & inexpugnabili: Præterea ista onera Anniversariorum speciem habent servitutum: ergo. III. ex Jure Canonico; partim quia SS. Canones in materia Præscriptionis, ubi aliud non statuunt, sequuntur Jus Civile (à quo præscriptio secundùm præfentem formam primitus est introducta) ut habet communis ex *c. 1. de N. O. N.* partim quia SS. Canones apertè tribuunt liberationem omnimodam à debito & obligatione per omissionem solutionis, bona fide debito tempore continuatam, adeoque per præscriptionem unicam, licèt præstationes sint annuæ, quales sunt anniversaria, ità ut à tempore, quo quis prima vice omisit bona fide præstare id, ad quod singulis annis per se obligaretur, constituatur in possessione, quam si continuet præscripto à Jure

I

tem-

tempore, extinguit penitus omnem obligationem tam quoad tempus præteritum, quam quoad futurum, uti patet ex c. 4. & c. 6. de Præscriptione. Ergo, cum tam moderni quam priores Administratores Seminarii per tot annos, qui de Jure utroque certò sufficiunt ad inducendam Præscriptionem contra obligationem ad anniversaria, si qua fuit data, illa omiserint coram Deo opinantes, se ad ea non obligari, uti suppono, v. g. quia putarunt, hanc obligationem fuisse extinctam cum Monasterio, vel per incorporationem auctoritate Ecclesiastica ad Seminarium factam, eam penitus extinxerunt per viam præscriptionis. IV. A pari cum Consuetudine, quæcum Præscriptio magnam habet vicinitatem: sicut enim legum publicarum obligatio extinguitur per consuetudinem contrariam, vel non-observantiam diuturnam juxta omnes, ita videtur extingui obligatio legum privatarum, quæ oriuntur ex foundationibus, & privatis conventionibus, per præscriptionem & non-observantiam diuturnam. V. Ex ratione, quia in hac omissione anniversariorum concurrerunt omnes conditiones ad præscriptionem privativam necessariam, nimirum *bona Fides*; cum Administratores Seminarii, & antecessores, qui ante incorporationem deserti Monasterii ad Seminarium illius bona administrarunt, crediderunt, se ad illa non obligari; *justus titulus*, qui potuit esse extinctio Monasterii, & incorporatio Pontificia, vel saltem præsum-

ptus ex diuturnitate temporis; *possessio*, scilicet negativa, quæ consistebat in omissione anniversariorum; ac denique *tempus legale*, scilicet 10. 20. 30. & plurium annorum, imò centenarium, vel etiam inmemoriale, si computetur tempus priorum Administratorum.

Argumenta contraria tanti momenti non sunt, ut præcedentem assertionem labefactare vel infringere valeant, nam R. ad I. Tridentinum non loquitur de consuetudine vel præscriptione foundationibus adversa, sed de ordinationibus & dispositionibus, h. e. statutis vel collationibus beneficiorum contrariis foundationi & erectioni illorum. Sicut igitur Concordatis Germaniæ per statuta vel alias dispositiones derogari nequit, potest tamen per consuetudinem vel præscriptionem, ut habet communior, ita & oneribus beneficiorum aut privatis conventionibus, per quas anniversaria fuerunt constituta, præscribi potest. Clausula irritans imprimis non respicit præscriptionem, sed alias ordinationes hominis; deinde clausula irritans non ita inficit titulum & possessionem, ut impediatur consuetudinem legi contrariam, vel præscriptionem juri privatorum adversantem, ut patet ex c. *Ambitiosa de Reb. Eccl. alien. inter extrav. comm.* ubi apponitur decretum irritans alienationem bonorum Ecclesiasticorum, & tamen communiter admittitur eorum alienatorum præscriptio, arg. c. 4. 6. 8. de Præscript. Igitur solum inficit titulum & possessionem in ordine ad hunc effectum, ut

ur spoliatus v. g. beneficiò, qui id ob clausulam irritantem nulliter obtinuit, non possit agere de spolio, vel solum intelligitur de possessione modici temporis. Accedit, quòd in hoc casu non agatur de Præscriptione contra Ecclesiam vel Locum Pium, sed contra privatos, qui fundârunt anniversaria, & successores; Locus Pius autem est præscribens, seu Seminarium, quod præscripsit. Ad Præscriptionem verò contra privatos minus requiritur à Jure, quàm contra Ecclesias, saltem in tempore.

Ad II. *N. Min.* Cujus probatio procedit de foro externo, de quo hic & nunc abstraho; in foro autem interno præsumptio cedere debet veritati; si proin Administratores bonorum deserti Monasterii nullam agnoverunt in conscientia obligationem ad anniversaria, uti supponitur, eos non agnovisse, & mihi satis est certum, in conscientia, & pro foro interno non caruerunt bona fide, & sic pro eodem foro præscriperunt. Certè bona fides potuit fundari etiam in eo, quòd administratores judicaverint, per translationem Pontificis extincta fuisse onera priora. Ad Confirmationem; iniquum quidem foret, si administratores perciperent, vel percepissent redditus sine onere præstito, cum scientia oneris & obligationis adhuc existentis, non verò, si ignoranter, & dependenter ab hac ignorantia onere jam extincto: deinceps proin non amplius percipiunt redditus sine titulo, licet onera anniversariorum non præ-

stent, quia percipiunt titulò præscriptionis, vi cujus obtinuerunt jus percipiendi redditus, & onus extinxerunt.

Ad III. Non alius in Consuetudine vel Præscriptione requiritur consensus Legislatoris vel Pontificis, quàm consensus Legalis, seu in Legibus expressus, quo approbat generaliter omnem Consuetudinem, & Præscriptionem debitis conditionibus munitam; ut apud omnes videtur certum: sed conditiones ad præscriptionem contra anniversaria hic non defuerunt, saltem pro foro interno: ergo. Ad IV. *N. Ant.* cum Glossa & Barbosa in *Summar. c. 1. de Consuetud. Laym. Lib. 1. Decretal. c. ult. de Consuetud. n. 9.* Pyrrhus Corradus intelligendus est de consuetudine (& præscriptione) non habente conditiones à Legibus & SS. Canonibus requisitas.

Dices adhuc, præscriptionem hanc currere nunquam potuisse, quia currere debuerat contra defunctos, anniversariorum fundatores, eò quòd isti reclamare non potuerint contra præscribentes juribus ipsorum. R. Horum loco potuisse reclamare, vel hæredes ipsorum, vel Episcopum, cujus est pias fidelium dispositiones tueri: deinde certum est, quòd præscriptio currat etiam contra ignorantes, qui tamen reclamare non possunt. Pellizar. *lo. cit.* Licet ergo defuncti reclamare non potuerint, tamen contra ipsos potuit currere præscriptio; quia verò defuncti rectè habentur pro absentibus, ideo ad præscribendum contra ipsos requiruntur ea, quæ ad præscriptionem contra

absentes de Jure requiruntur, nimirum 20. anni, quando contra presentes sufficiunt 10. anni. Pellizar.

Postquam hæc scripseram, venit ad manus meas doctissimus tractatus de *Præscriptionibus* R. P. Antonii Söll, in quo n. 156. seqq. examinat quæstionem, an possit præscribi contra onera, ac conditiones in *fundationibus sacris appositas*, eamque resolvit negativè. Quæ, quia à quæstione nostra tertio loco posita non multum abludit, imò, si per *fundationes sacras* etiam comprehendat conventiones de celebrandis anniversariis, seu *fundationes anniversariorum*, cum eadem coincidit, placet referre, & pro viribus respondere ad ipsius fundamenta. Ille itaque nobis

Objicit 1. Ejusmodi præscriptio prohibita est à Trid. *sess. 25. c. 5. de Ref.* cui prohibitioni Pius IV. adjecit decretum & clausulam irritantem, quæ in Beneficialibus inficit titulum & possessionem. 2. Supposita dispositione Tridentini citatâ deficit in præscribente titulus & possessio ad præscribendum oneribus in *fundatione* adjectis necessaria. 3. Præscriptio est inventa ob bonum publicum: sed præscriptionem hujusmodi non exigit bonum publicum, sed potius exigit, eam non dari, cum preces, sacrificia &c. conferant ad salutem animarum, peccatorum deletionem, ac augmentum gratiæ supernaturalis. 4. Cum talis præscriptio cederet in detrimentum animarum, & præjudicium fundatorum, æquè parum habere locum potest, imò mi-

nus, quàm sublatio talium piorum operum autoritate Ecclesiastica facienda extra casum, quo reditus sunt deperditi vel diminuti. 5. Contra pupillum durante pupillari ætate, licet tutorem vel defensorem habeat, non currit præscriptio: ergo neque contra piam *fundationem*, quæ tanquam causa pia gaudet favore pupillorum. 6. Hujusmodi præscriptio obesset Ecclesiæ, cum absterrentur fideles à faciendis piis *fundationibus*, si scirent, opera pia tam ardentè à se expetita, eorumque obligationem tolli posse per præscriptionem. 7. In dubio à standum est possessori, & standum pro causa pia: atqui dubium est, an præsentis casu habeat locum præscriptio: auctores enim perpauca, qui id asserunt, nec rationes firmas, nec Juris textum asserunt, quibus suam evincant aut persuadeant sententiam: ergo standum est pro pia *fundatione*, utpote quæ causa favorabilis est, & stante dubio in possessione.

At nec ista tanti sunt roboris, ut à proposito, & priori decisione recedere compellant. Ad 1. & 2. ex Tridentino, & superveniente decreto irritante, desumpta jam respondi, quòd non loquantur de Præscriptione, sed de statuto, quo immutatur beneficii status, vel de collatione beneficii contra *fundationis* leges. Item quòd talis clausula irritans non impediatur Præscriptionem, saltem longissimi temporis. Addatur, quòd hæc præscriptio non sit contra beneficium, sed contra onera privatorum pactionibus im-

imposita. Ad 3. Negatur *Min.* & eius suppositum, quod quamlibet præscriptionem particularem & in specie debeat exigere bonum publicum; secus enim nulla præscriptio haberet locum; cum quamlibet in particulari essentialiter respiciat bonum particulare privatorum, qui per eam vel aliquid acquirunt, vel jus alienum adversus se perimunt. Sufficit, quod Leges præscriptionis fundentur in bono publico: cujus interest generatim & universaliter, ut dominia & jura privatorum sint certa, lites tollantur, uti & obligationes per possessionem bona fide & debito tempore continuatam. Cum igitur ob tales rationes, bonum publicum spectantes, Jura approbent generaliter omnem præscriptionem debitæ conditionibus non destitutam, approbant & hanc contra onus anniversariorum, cum dictis conditionibus non sit destituta. Nec obstat, quod per eam minuantur Sacrificia &c. quæ conferunt ad salutem & refrigerium animarum &c. partim quia Leges præscriptionis non excipiunt hunc casum, partim quia apud omnes ferè certum est, præscribi posse contra Ecclesias, earumque bona, non obstante, quod inde minuantur redditus Ecclesiastici, consequenter & ministeria sacra, quibus Dei cultus & animarum salus promovetur, gratiæ supernaturales obtinentur &c. Ad 4. Imprimis jam dixi pauld ante, præscriptioni non obesse, licet inde aliquod animarum detrimentum per accidens sequatur, modo præscri-

bens sit in bona fide, nec alia præscriptionis requisita desint. Dein sicut auctoritate Ecclesiastici Legislatoris propter bonum publicum piæ fundationes, beneficia, consequenter & pia opera ac sacra ministeria minui vel tolli possunt, ut nemo fors negaverit, ita idem fieri non repugnat per viam Præscriptionis, quia Legislatores, Ecclesiasticus & Civilis, Leges Præscriptionis posuerunt ob bonum publicum: & regulariter quidquid acquiri vel tolli potest auctoritate Legislatoris humani, etiam præscriptione potest, saltem longissimi temporis. *arg. c. 26. de Verb. sig.* Ad 5. *N. Conf.* quia causæ piæ non magis æquiparantur pupillis quoad præscriptionem, quam Ecclesia: sed contra hanc currit præscriptio, uti certi est Juris. *c. 4. c. 8. de Præscript.* Accedit, quod præscriptio hæc immediatè contra fundatores anniversariorum, ac illorum successores cucurrerit, qui fuerunt homines privati, & non privilegiati, præscribens autem fuerit Ecclesia parochialis, licet per eam extincta sit causa aliqua pia. Ad 6. Censentur fundatores illa, quæ assignant pro piis operibus, subjicere casibus, sicut fortuitis, quibus perire possunt, ita & iis, quibus pereunt, vel intenta opera pia cessant ex dispositione Legum: sicut ergo non sinunt se absterri casibus fortuitis, ita nec iis, quibus sua intentio frustrari potest effectu ex dispositione Legum, scilicet Præscriptionis, absterrendos esse credendum est; vel, si absterri se si-

nant, propterea tamen Leges præscriptionis cessare non debent, bono publico universaliter adeò utiles, licet per accidens etiam causa pia indè patiatur detrimentum. Ad 7. Hoc argumentum reflexum sicut in omni casu, ubi aliquale est dubium, utrùm existat lex &c. vel non, applicari potest, ita inefficax est, & nullarum virium: sic malè & inefficaciter argueres hoc modo: est dubium, an Ecclesia (vel causa pia) contra præscriptionem à se completam gaudeat restitutione in integrum ultra quadriennium: ergo debet restitui etiam post quadriennium, quia causa pia & causa Ecclesiæ est favorabilis, & Ecclesia in dubio est in possessione. Negat consequentiam & ipse R. P. Söll n. 586. & bene. Attendendum igitur magis est, quid jura statuant vel permittant, quàm qualitas causæ, vel quæcunque dubium de dispositione Jurium, & desumptum ex tali dubio reflexum argumentum. Deinde negatur, causam piam esse in possessione contra præscriptionem, sed potius Leges Præscriptionis, quæ generaliter disponunt, & causam piam nullibi excipiunt, esse in possessione adversus causam piam dicendum. Meam sententiam inniti & Juribus & bonis rationibus, patet ex meis probationibus. Loquendo de Auctoritate Doctorum eadem mea sententia longè prævalet oppositæ; quia pauci quidem DD. stant pro mea, sed fortè omnes, quotquot hanc materiam examinant, licet ii, etiam teste R. P. Söll,

sint paucissimi; ipse verò pro sua opinione nullum omnino adduxit in specie: ego autem saltem aliquos, eosque classici & graves: nec scio ullum, qui cum R. P. Söll clarè sentiat in hac materia.

De reliquo etiam hic Auctor admittit, per tempus immemoriale extingui posse hujusmodi onera pia, non ex vi præscriptionis (ut ipse ait) sed vi præsumptionis, qua præsumitur quivis titulus, v. g. dispensationis, privilegii, commutationis in alia opera pia. Jam sic; etiam in præsentis casu non malè allegatur tempus immemoriale: ergo rectè præsumitur hujusmodi titulus. Deinde sic arguo ad hominem. 1. Juxta P. Söll decretum irritans in Bulla Pii IV. confirmatoria Tridentini adjectum non patitur, sed inficit omnem titulum. 2. Si sufficit titulus præsumptus, scilicet præsumpta dispensatio, privilegium, commutatio &c. ad extinguenda onera pia, hoc ipso etiam sufficet præscriptio longissimi saltem temporis; quia in tali præscriptione semper præsumitur aliquis titulus, quicumque de jure habilis: & quidquid est acquisibile per dispensationem vel privilegium, generaliter etiam est acquisibile per præscriptionem, ut habet commune brocardicum. 3. Non video, quare non possit vocari *Præscriptio*, ubi lapsum est tempus immemoriale; cum juxta communem dividatur Præscriptio in ordinariam & extraordinariam, hæc autem in temporis longissimi,

firmi, & in immemorialem. Certè perpetua apud Auctores, & Practicos, fit mentio præscriptionis immemorialis. Cur ergo potius viâ præsumptionis, quàm præscriptionis, in calu temporis immemorialis dicantur extincta onera pia? Denique adverto ex eodem P. Söll n. 294. non semper præsumendam esse (pro foro utique externo) malam fidem in eo, penes

quem reperitur instrumentum authenticum obligationis & oneris, cui is diuturno tempore ad præscribendum requisito non satisfecit, tunc nimirum, quando ex circumstantiis concurrentibus datur alia præsumptio, in qua potuit fundari bona fides etiam in eo, penes quem reperitur instrumentum. Ita censeo, salvò tamen per omnia meliori.

QUÆSTIO IV.

An illa Anniversaria, pro quibus non amplius fluunt census bonis deperditis sine Monasterii vel Seminarii culpa, cessent per se?

Sic mihi videtur; quia cessantibus redditibus cessare debet ordinatio testatoris, ut loquitur Felinus in c. cum excessissent. n. 19. de Constitut. & cum eo Garcias p. 7. c. 1. n. 125. Lambert, alique, eò quòd cessante causa cessare debeat & effectus. c. 60. de appellat. & cessante vel non impleta conditione conditionatum; sed reditus constituti fuerunt tanquam causa finalis intrinseca, secundaria quidem anniversariorum, at tanquam conditio, sine qua non fuissent suscepta anniversaria; sicut nemo diceret meò iudiciò, si reditus pro beneficio Ecclesiastico destinati interirent penitus, beneficium vel beneficii obligationem adhuc perdurare. Neque pacifcentes anniversaria intuitu certorum reditu-

um celebranda censentur se voluisse etiam obligare pro casu, quo cessaturi sunt reditus. Si opponeres, juxta resolutionem nostram prioris quæstionis posse percipi reditus, qui adhuc fluunt, quin detur obligatio ad onera anniversariorum; reponerem, successisse alium titulum, quo percipi possint sine onerum præstatione, nimirum præscriptionem; cujusmodi fundamentum obligandi ad anniversaria, ubi reditus celsarunt fluere, continuanda non ostenditur ex parte adversa. Meæ opinioni adstipulari videtur la Croix lib. 4. n. 855. ubi sic ait: Si uno anno emanant toti fructus, non est obligatio ad ullum omus. Idem repetit lib. VI. n. 118.

QUIÆ

QUESTIO. V.

Quid tenendum, si fundatio sit tam exigua, v. g. si pro uno anniversario suant defacto tantum 7. vel 8. X. Et.

Quamvis hæc quæstio in præsentis casu cesset supposita decisione quæstionis tertiæ, ubi obligationem ad anniversaria vi præscriptionis extinctam esse docui, factâ tamen hypothese, quòd non sit extincta, Dicendum cum communi 1. Si reditus sint admodum imminuti, vel mutatis temporibus definant esse sufficientes & proportionati (ut olim fuerint proportionati) ad competens stipendium pro Missâ vel Sacro anniversario, & quidem stabiliter, non esse in potestate privatorum omittere Missas, vel imminuere anniversaria propriâ auctoritate: aliud tamen Doctores censent, si tantum pro uno vel altero anno reditus non fluxissent omnes, & sufficientes, tunc enim beneficiatis permittunt remittere aliquid de sua obligatione pro rata fructuum non perceptorum. La Croix *lo. cit.* Dicendum 2. licitum tamen esse Episcopo reductionem stabilem Missarum,

& Anniversariorum facere in tali casu, seu Missas ad minorem numerum reducere, saltem illas, quæ non in fundatione primæva sunt constitutæ, sed postea supervenerunt ex relictis Defunctorum, vel conventionione Fidelium, ut colligunt ex Trident. *Sess. 25. c. 4. de Regular.* etiam extraSynodum dicecesanam, ut probat consuetudo nostræ Germaniæ, imò Navarr. *Manual. c. 25. n. 138.* putat, nec spectato Jure & Tridentino, opus esse, ut id fiat in Synodo. Aliud multi tenent de missis in ipsa fundatione primæva præscriptis secundum Trid. *lo. cit.* Decisiones Congreg. Cardinal. & Constitutiones Urb. VIII. & Innoc. XII. quamvis Gobath etiam de his teneat contrarium *tract. 3. n. 589.* cum Palao & Tambur. asserens, hoc observari in dicecesi Constantiensi in praxi. At non versamur in casu, quo constituta sunt onera in primæva fundatione.

QUESTIO VI.

An casu, quo subsistat onus Anniversariorum, facienda sit omnium omissorum compensatio?

Supposito hoc onere, quod tamen in præsentis ad quæstionem 3. subsistere negavimus, & hic iterum notamus, quòd præscriptio non tantum

tum se extendat ad deobligandum in futurum, sed etiam extinguat obligationes præteritas omnes ab eo tempore, quo primitus bona fide fuit aliquid omittum. Supposito, inquam, hoc onere, videtur omnino affirmandum, quòd facienda esset omnium omittorum compensatio; quia stante obligatione ad Anniversaria fuerunt illa omitta contra Justitiam, eò quòd per contractum onerosum fuerint constituta, & simul reditus percepti: sed casu, quo læditur Justitia, & alicui subtrahitur, quod ei ex Justitia debetur, datur obligatio restituendi & compensandi id, quod injustè subtractum, ut est constans assertio Theologorum, imò & Juristarum, qui ajunt, debitum semel contractum, & non solutum, adhuc solvendum esse, Pellizar. *tr. 5. c. 9. n. 151.* Miti-

gare tamen hanc doctrinam videtur Gobat. *tr. 3. n. 636.* præsertim *Litt. G.* ex ea ratione non improbabili, quòd Anniversaria sint affixa anno, ita ut annum spatium non excedant, sed eo elapso finiantur, saltem quando intercessere plures anni, quibus actualis obligatio cessabat ob moralem impossibilitatem; sub qua impossibilitate fortè etiam comprehendi potest ignorantia vel error in foro interno inculpabilis, quo putabatur, nullam dari obligationem ad Anniversaria, Verùm, quia idem Gobat *Litt. I.* ignorantiam, licet excuset à culpa, non habet pro sufficienti causa exculante ab onere restitutionis & compensationis regulariter, dubito, an etiam juxta ipsum non esset obligatio compensandi omitta Anniversaria, si non jam fuisset extincta per Præscriptionem.

QUÆSTIO VII.

Eodem casu supposito, quomodo deinceps res sit constituenda, ut satisfiat?

Suppositum quidem secundum dicta non subsistit, si tamen subsisteret, & obligatio compensandi daretur, censo I. pro illis Anniversariis, pro quibus nulli census fuerunt recepti, nihil obligationis existere deinceps, II. pro illis autem, pro quibus recepti sunt census, non tamen pro hoc tempore constituentes stipendium conluetum, pro Missa, vel Anniversario, dari solitum, dari quidem obli-

(R. P. Picbler Decisiones.)

gationem, quamprimum compensandi sacra omitta, sed ita, ut pluribus, & tot Anniversariis, quot simul sumpta præbent congruum stipendium 20. vel 24. crucigerorum, uno sacro satisfieri possit. Ratio utriusque fundatur in æquitate naturali, & communi doctrina, quam tradit la Croix *lo. cit.* quòd nempe, si uno anno emanent toti fructus, non sit obligatio ad ullum onus, si ex parte, sit obli-

K

obligatio tantum pro rata. Neque ad temporis prateriti reductionem operum necessaria videtur auctoritas Episcopi, vel Papæ; quia Tridentinum, Urban. VIII. & Innocent. XII. quando eam requirunt, videntur loqui de reductione & imminutione stabili futurum. III. pro illis verò, pro quibus accepti sunt reditus, & quæ exigunt

Cantum, sufficere puto, si intra breve tempus tot procurarentur sacra privata & simplicia sine Cantu, quot fuerunt Anniversaria omiffa. per ea, quæ tradit Gobat, *n. cit. litt. H.* quia pactiones humanæ non sunt exigendæ ad punctum, sed civili modo accipiendæ, ut ait Peckius *ad Regulam Juris 25. in 6. n. 2.*



TITULUS VIII.

De Auctoritate & Ufu Pallii.

DECISIO VIII.

An Archiepiscopo, vel alteri jus Pallii obtinenti, liceat illò uti in Ecclesia exempta?

SPECIES FACTI.

Cœlestinus Monasterii cujusdam exempti Abbas ut ampliorem Archiepiscopi, in cujus diœcesi situm est hoc Monasterium, benevolentiam sibi conciliaret, eundem in principali Ordinis sui festo humanissimè invitavit ad solenniter operandum Sacris. Hunc honorem tam officiosè sibi delatum acceptavit Archiepiscopus. Verùm cum sacras ad solenniter Sacrificandum vestes indueret, pro more suo & Pallium adhibuit. Id animad-

vertens Cœlestinus, & ne aliquid fieret in exemptionis præjudicium, metuens modestè & sollicitè monuit Archiepiscopum, ut in hac Ecclesia exempta abstineret Palliò. At is nonnihil monitione hac offensus, eaque insuper habita perrexit, & cum Pallio Pontificalia exercuit, Cœlestinus verò re Divina finita contra hoc factum in aliorum corona solenniter protestatus est. Unde oriebatur

QUÆ-